



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De abortiuis fœtibus & monstris. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Vnde probatur, animas defunctorum non solum *colla. prima*
 suis sensibus non priuari, sed nec istis affectibus *abbatis*
scil. spe, tristitia, gaudio ac metu carere: & ex his,
quæ sibi in illo generali examine reseruantur, eas
quædam iam incipere prægustare.

De abortiis fœtibus & monstribus. H

Illud etiam inuestigari oportet, si abortiui fœ-
 tus & monstra resurgent, & qualia. De quo Aug. *In Enchir.*
 ita ait: Occurrit de abortiis fœtibus quæstio, qui *cap. 85.*
 iam nati sunt in vteris matrum, sed non ita ut iam
 possint renasci. Si n. resurrecturos eos dixerimus:
 de his qui iam formati sunt, tolerari potest vt cun-
 que quod dicitur, informes vero, quis non procli-
 uius perire arbitretur: sicut semina, quæ concepta
 non fuerunt? Scrupulosè quidem inter Dd. quæri
 ac disputari potest, quando incipit homo in vtero
 viuere, an sit quædam vita occulta, quæ nondum
 motibus viuentis appareat? Negari enim vixisse
 puerperia, quæ ideo membratim execantur, vt
 elicantur ex vteris prægnantium: ne matres et-
 iam, si mortua ibi relinquuntur, occidant: impu-
 dētia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo
 viuere, ex illo vtiq; iam mori potest: mortuus ve-
 ro vbi cunq; illi potuit mors euenire, quomodo ad
 resurrectionem non pertineat, reperiire nequeo.
 Neq; enim & monstra, quæ nascuntur & viuunt,
 quantumlibet cito moriantur, aut resurrectura
 negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt:
 sed potius correcta eorum emēdataq; natura. Ab-
 sit enim, vt illum bimembrem, quē nuper natum
 in oriente fratres fidelissimi, qui eum viderunt re-
 tulerunt, & S. Hieron. scriptum reliquit, vt vnum
 hominem duplicom, ac non potius duos: quod fu-
 turum erat, si gemini nascerentur: resurrecturos
 existimemus, ita & cætera, quæ nimia deformita-
 te monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram
 in resurrectione reuocabuntur.